



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

XIV. Quæ personæ à Prælati Religionis dispensari queant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

CAPVT XIV.

Quæ personæ à Prælati religiosis dispensari queant.

XVI.

Tandem, ut melius possit dicta regula ad omnia instituta applicari, animaduertendum occurrit, hanc potestatem dupliciter conuenire posse vnicuique religioni exemptæ. Primò ex vi muneris talis Prælati, habentis respectu suorum subditorum non tantum vices Parochi, sed etiam Episcopi: & quantum ad hoc genus potestatis maximè procedit regula posita, ut sufficienter confirmatur ex proximè dictis num. præced. & ex suprà generatim tractatis cap. 12. de iurisdictione quali Episcopali horum Prælatorum. Alio modo potest conuenire hæc potestas ex specialibus priuilegijs, vel indultis, siue directè concessis tali religioni, siue per communicationem cum alijs: & quoad talem potestatem, licet regula dicta benè intellecta, & applicata, locum etiam habeat, tamen modus indulti, & concessionis maximè considerandus est. Nam, si verba Pontificis generalia sunt, scilicet, concedendi tali religioni, vel Prælati eius potestatem dispensandi in hac, vel illa re, & per aliud indultum, vel per regulam religionis non limitantur, tunc optimè procedit regula posita, quia illa potestas in omnibus inuenitur, quibus specialiter non prohibetur. Si autem verba indulti sunt specialia, quia nimirum solum diriguntur ad Generales, vel ad Prouinciales, tunc potius habet locum altera regula, scilicet, inferiores Prælatos solum posse in eo genere id, quod sibi à superioribus fuerit concessum: nam cum alibi datum non sit, ex natura rei est ipsis prohibitum, quandiu non est concessum. & hoc modo etiam hic casus ad prædictam regulam reducitur: nam illam et specialis concessio & est ius speciale talis religionis, & est virtualis quedam prohibitio respectu inferiorum. Dico autem semper respectu inferiorum, quia respectu superiorum nunquam censetur illam limitationem admittendam, nisi exprimitur: quantum enim indultum, vel regula tantum diceret, Omnes Guardiani, vel Priores, vel denique conuentuales Prælati, quomodocunque nominentur, hoc possint dispensare, nihilominus Prouinciales, & superiores Prælati non sunt censendi exclusi ab ea concessione & potestate, quia sub particulari semper includitur vniuersalis Prælati, sicut sub nomine proprii sacerdotis comprehenditur Episcopus quoad habendam potestatem.

XVII.

Dices, interdum inferior habet ius ad indicandum in aliqua causa, in qua non potest superior se intromittere, nisi fortasse per viam appellationis, vel in defectum alterius: ergo idem contingere potest in hac materia dispensationum. Respondetur in primis, antecedens non habere locum in Prælati Ordinarijs, habentibus propriam curam spirituales subditorum in utroque foro, ut sunt Prælati religionum. Deinde, in his dispensationibus multo minus esse id admittendum, quam in alijs causis iudicialibus, quia propinquius ordinantur ad spirituale bonum subditorum. Ac denique, ut id posset admitti, oporteret prohibitionem, & denegationem esse expressam, quia multum exorbitaret ab ordinario iure. Supererat hic alia dubitatio, an Prælati habentes hanc potestatem possint illam delegare. Sed expediemus illam simul cum alia simili in c. 15. n. 4.

Vltimum punctum suprà propositum c. 12. n. 5. I. fuit de personis, quæ per hanc potestatem possunt dispensari. Et de tribus generib. personarum potest dubitari, scilicet de ipsismet Prælati vtentibus tali potestate, de nouitijs, & de secularibus, aliquo extrinseco modo (ut sic dicam) religioni coniunctis, ut sunt familiares, seruientes, & similes. Nam præter hæc tria genera solum relinquuntur alia tria, scilicet, religiosi professi eiusdem religionis subditi, religiosi eiusdem etiam professionis, non tamen subditi, & omnes alij externi nullo modo religioni coniuncti, siue seculares sint, siue religiosi alterius religionis. De hoc autem triplici posteriori genere nulla est questio; nam quod attinet ad religiosos professos eiusdem religionis constat, illos esse quasi propria subiecta (ut sic dicam) circa quæ potestas hæc versatur, nam propter illos datur huiusmodi potestas: cum illis ergo omnibus potest dispensare Prælati religionis, per se loquendo, seu nisi in ipso indulto fiat peculiaris restrictio, quæ raro, vel nunquam fit. De alijs religiosis eiusdem professionis, non tamen subditis est contraria regula certa, scilicet, non posse religiosum non subditum dispensari à Prælato non suo. Ratio est clara, quia dispensatio hæc est actus iurisdictionis, quæ non versatur circa non subditum. Et quantum interdum contingat, potestatem dispensandi concedi erga eos, qui alias non sunt subditi, quia per priuilegium hunc subditi quoad illum actum, vel quia tunc non conceditur propria iurisdictione, sed nudum ministeriū, licet hoc (inquam) fieri possit, & interdum fiat, tamen ex ordinario iure religionum, tam communi, quam speciali, certum est, non ita fieri, quia esset contra debitum ordinem, & quia pareret confusionem potius, quam ædificationem. Item, quia religiosi possunt faciliè habere recursum ad suos proprios Prælatos, & Prælati debet agnoscere vultum pecoris sui: ergo superuacaneum, & inopinatum esset, si vniuscuique religiosus posset dispensari à quolibet Prælato suæ religionis, etiam non suo. Denique, ob hanc rationem non potest inferior Prælati dispensare cum suo Superiore, nec Prælati vnus conuentus cum Prælato alterius; neque vnus Prouincialis cum alio: ergo multo minus poterit vnus Prouincialis dispensare cum subditis alterius, vel è contra, & sic de cæteris. Statim autem occurrebat questio de religiosis hospitibus, an possint dispensari à Superiore loci, vel prouinciæ, in qua inueniuntur, propter actuale subiectionem, quam videntur habere. Resolutio tamen est, non posse, loquendo propriè de dispensatione prout distinguitur ab absolutione: de quo postea n. 7. videbimus. Et ratio est, quia simpliciter non sunt subditi; & quia dispensatio obtineri potest à Prælato absenti. Et ita in simili declaratum est de clericis forensibus à Congregatione Cardinalium circa capitulum licet, quod est c. 6. de Reformat. in sess. 24. Concilij Triden.

II.

Atque hinc faciliè constat, eandem regulam negatiuam veram, & indubitam esse in vltimo genere personarum. Quia illæ non solum subiectæ non sunt, verum etiam nec coniunctæ, aut vnitæ tali religioni. Obseruare autem oportet, sermonem hic esse de potestate concessa religioni per modum iurisdictionis in foro exteriori, & in ordine ad externum regimen. Aliquando enim conceditur aliqua potestas dispensandi in ordine ad forum conscientie, & quasi annexa iurisdictioni in foro

I. Sex personarum generum in hæc quæst.

Expediuntur tria personarum generum.

foro sacramentali, quæ sic concessa non ordinatur ad regimen religionis, sed ad ministeria circa salutem animarum, & in fauorem poenitentium. Et hoc posteriori modo conceditur interdum religionis per sua priuilegia potestas dispensandi cum externis vel in aliquibus votis, vel in aliquo impedimento affinitatis, vel quid simile. Sed quia hoc vniuersale non est, vnusquisque consulere debet sua priuilegia, & satis cognitam habere potestatem sibi concessam. Quando autem potestas huiusmodi est, circa illum poterit exerceri, qui in foro poenitentiae fuerit subiectus, quia illa potestas, cum in ordine ad illud forum detur, illam subiectionem postulat, & non aliam.

III.
Expenditur
iam quæstio
si ea i ge-
nitas, an Pra-
lati secum
dispensare
valeant.

Iam igitur circa priora tria genera personarum dubium in primis est: an Praelatus religionis possit secum ipse dispensare? Et ratio dubitandi oritur ex dictis, quia ipse non est sibi subiectus, neque habet in se iurisdictionem: ergo non potest secum dispensare. Confirmatur, quia semper esset suspecta, & periculosa talis dispensatio: quia nemo recte potest in propria causa iudicium ferre. Denique, hi Praelati semper habent Superiorem, ad quem recurrant, Conuentualis ad Prouincialem, Prouincialis ad Generalem, & Generalis ad Papam: ergo non possunt ipsi secum dispensare. hac enim ratione non possunt Episcopi secum dispensare, quia Superiorem habent, iuxta doctrinam Panormitani in c. magna. de voto, de qua supra in materia de voto lib. 6. c. 11. dictum est. Propter hæc aliqui absolute negant, hos Praelatos posse secum dispensare. Alijs verò hoc nimis onerosum videtur, quia non debent esse hi Praelati peioris conditionis, quàm sint sui subditi: ergo, si subditus potest dispensari, v.g. à Prouinciali in aliquo casu: ergo etiam ipse Prouincialis poterit dispensari per eandem potestatem Prouincialis; alius grauius cum illo ageretur. Item, quia Praelatus potest sibi concedere licentiam, quam potest subdito dare, quia vix potest alio modo conuenienter gubernari: ergo eadem ratione potest sibi concedere dispensationem, quàm subdito; quia non magis hoc repugnat, quàm illud, & vtriusque necessitas frequenter ac moraliter occurrit.

IV.
Non quæ-
ritur an re-
quiratur
distinctio
inter dispen-
sationem
sanctam &
dispensationem.

Proprius
sensum quæ-
stionis
Praelatus
potestatem
saltem dele-
gare ut se-
cum dispen-
setur.

In hac quæstione difficultas esse potest de modo necessario ex parte actus dispensandi, an scilicet exerceri possit ab eodem circa seipsum. Quo sensu difficultas generalis est ad plures alias materias, de Legibus, de voto, & c. in quibus sufficienter tractata est, citato cap. 11. de voto & lib. 6. de legib. cap. 12. à num. 8. & ideo hic omittitur, quia vim non facimus in hoc, quod Praelatus possit per seipsum secum dispensare, vel eligere aliquem, cui committat dispensationem, hoc enim satis illi est, quanuis probabile sit, si per alium potest secum dispensare, in rigore etiam posse per seipsum: quia distinctio personarum non est de substantia dispensationis, sicut est de substantia sacramentalis absolutionis, licet moraliter conuenientius sit illud iudicium alteri committere, vt probat ratio dubitandi in principio facta. In alio ergo sensu intelligenda est dubitatio de potestate ipsa, an sit in Praelato ad huiusmodi dispensationem faciendam, siue per se, siue per commissionem suo confessori factam.

V.

In hoc ergo sensu dico in primis, supremum Praelatum religionis posse secum dispensare, quia non esset sufficienter prouisum, si deberet semper extra religionem querere remedium talis dispensationis. quod plane est contra intentionem Pontificum concedentium religioni huiusmodi facultates, seu priuilegia, & exemptiones, vt omnes eius religiosi possint illis gaudere: non excipiunt autem Generalem: ergo illum etiam comprehendunt. Esset etiam id contra intentionem religionis, ad quam

spectat habere debitam prouidentiam sui Praelati non minus, quàm aliorum. Vnde eo ipso, quod religio committit Generali absolute, & sine restrictione omnem potestatem suam quoad actus dispensandi, consequenter illam committit erga ipsummet. Posset tamen religio, vt existimo, existens tota in Capitulo generali, designare personam, cui has vices respectu Generalis committat, vt postea etiam dicemus de absolutione: & tunc non posset Generalis secum dispensare, sed à Commissario Capituli generali, quia reuera potestas principaliter est in tota religione, & ille modus vtendi illa non habet repugnantiam, neque indecentiam, imò potest esse conueniens. Quandiu tamen religio non vitur hoc genere prouidentie circa suum supremum Praelatum, prout regulariter non vitur, talis potestas commissæ censetur Generali propter rationem factam, & quia non est à nobis sine causa restringenda. Modus autem vtendi illa potestate per se, vel per alium, si speciali lege religionis non præscribitur, consequenter etiam relinquatur, vt iuxta rei naturam, & prudentiam Praelati fiat.

Secundo de inferioribus Praelatis dicendum est, de illis non posse aliam generalem regulam assignari, nisi vnumquemque in hoc dependere à suo Superiore, iuxta institutionem & vsum suæ religionis: per se enim loquendo pertinet talis dispensatio ad proximum Praelatum vniuersiuique, & in Praelatis conuentualibus ita existimo regulariter obseruari, nimirum à suis Prouincialibus postulari debere huiusmodi dispensationes, vel ex facultate eorum habere designatum aliquem confessorum, vel licentiam eligendi illum, cui hæc potestas sit commissæ: quod si ex vfu religionis confiteri, Praelatis inferioribus esse concessam hanc facultatem, id satis erit, nam consuetudo ostendit hanc esse voluntatem superioris Praelati, vt sæpe alius dixi. In Prouincialibus autem, quauis in rigore, considerata qualitate sui muneris, habeant eandem dependentiam à Generali; tamen frequentius non videtur seruari tanta subordinatione inter hos Praelatos in multis religionibus; sed Prouincialis censetur posse in sua provincia quicquid non est expresse reseruatum Generali, iuxta suam statuta. Vnde, si statuta in hoc aliquid disponunt, illud seruandum est: si autem nihil disponunt, videtur eo ipso commissæ facultas ipsis Prouincialibus, nisi ex consuetudine oppositum constet. Aliqui etiam probabile existimant, hos Praelatos posse iuari ad hanc dispensationem priuilegio cap. vltimi. de poenit. & remiss. licet illud priuilegium extendatur ad hos Praelatos, vt dixi in 4. tom. 3. p. disp. 27. sect. 2. tamen difficile est illud extendere ad hanc potestatem dispensandi, cum ibi solum concedatur facultas eligendi confessorem, qui confessor nec per se habet hanc potestatem ex vi muneris confessoris, nec in illo textu ei datur, cum solum de muneris confessoris fiat mentio: maxime cum hac dispensatio, de qua agimus, nullo modo sit annexa absolutioni sacramentali, quia neque est præiudicialis illam ex necessitate, vnde absolutio à censura, neque aliam connexionem necessariam cum illa habet.

Est autem vltimò in hoc puncto aduertendum, hæc omnia intelligi de dispensatione proprie dictæ, quam in superioribus c. 12. n. 45. distinximus à potestate communi licentia, & ita proprie habent locum in dispensatione votorum, & præceptorum Ecclesiæ, & impedimentorum, quæ ex illorum transgressione interdum contrahuntur, & præceptorum etiam ne interdum contrahuntur prohibetum, vel præceptum religionis simpliciter prohibetum, vel præceptum aliquid nam circa has materias veratur propriè dispensatio. At verò in alijs actibus, qui non

prohibentur simpliciter fieri, sed licentia Prælati postulat, ut rectè fiant, non videtur dubitandum, quin his Prælati, etiam conuentuales possint huiusmodi licentias sibi concedere, quas alijs dare possunt, dummodo debita moderatione secum vrantur, quam etiam circa alios obseruare tenentur. Probatur, quia hoc est moraliter necessarium iuxta statum horum Prælatorum. Item, quia huiusmodi licentia non tam est actus iurisdictionis, quam cuiusdam domini, eo autem ipso, quod Prælati relinquunt in hac domo tanquam pater & superior illius, relinquunt tanquam dominus suarum actionum, earum scilicet, quæ ad ordinarium modum talis vitæ pertinent, in cuius solet esse necessaria licentia Præpositi totius domus: ergo hoc ipso illi conceditur, ut ipse possit sua facultate facere, quod alijs possunt de eius licentia efficere. Quod semper intelligitur, nisi aliquid ei specialiter prohibeat, cuius licentiam sibi referret superior Prælati.

VIII. In secundo puncto de nouitijs, quod ad vota attinet, superius tractatum est, quod verò pertinet ad communes obseruantias, vel præcepta religionis, in eis locum non habet: quia illi non obligantur in rigore his præceptis, & ita non indigent propria dispensatione; sed vt suæ religioni, & probationi satisficiant, indigent licentia Prælati, quam certum est posse ab ipso dari, quantum, vt rectè fiat, prudens causa necessaria sit. Solum ergo potest dubitari de Ecclesiasticis præceptis, aut de effectibus eorum. In quo agi potest vel de obseruantia, & executione talium præceptorum pro tempore tantum illius anni probationis; vel de dispensatione aliqua perpetua, & durabili. Priori modo dicendum est post Prælatum dispensare cum nouitio in his, in quibus posset à suo Episcopo dispensari, vt in ieiunio, vel in audienda Missa, & similibus. Ratio est, quia pro illo tempore gaudet priuilegio exemptionis, & quoad spiritualia sunt sub propria cura Prælatorum religionis: ergo hi Prælati possunt exercere circa illos iurisdictionem quasi Episcopalem, ad quam pertinet hæc dispensatio. Et confirmatur, quia hic modus dispensationis regulariter est necessarius, & in tali statu neque expedit, nec conuenienter fieri potest, vt nouitius habeat recursum ad alium Prælatum præter eum regularem, sub cuius disciplina viuit: ergo. Vnde, si Prælati religionis ex proprijs priuilegijs maiorem aliquam in hoc habet potestatem circa suos religiosos, etiam illam extendendam censeo ad nouitios: quia licet nouitius in rigore non sit religiosus, & quoad odiosa non comprehendatur sub hac appellatione, nihilominus quoad gratias, & fauores comprehenditur, iuxta communem doctrinam. Potestas autem dispensandi fauorabilis est, & ideo amplè interpretanda, licet dispensatio sit restringenda.

IX. Posteriori autem modo dicendum est, Prælatum religionis non posse cum nouitijs dispensare, scilicet, dispensationes perpetuas eis concedendo, quæ in eis durent, etiam si postea non profiteantur, sed habitum relinquunt. Probatur, quia illi non sunt absolutè & perpetui subditi. Item, quia esset irrationabilis dispensatio, quæ potius cedere posset in nouimentum religionis, quam in fauorem. Denique, nullo iure, vel priuilegio talis potestas ostendi potest. Vnde etiam colligo, non posse nouitium dispensari virtute priuilegiorum religionis ad effectus perpetuos, seu permanentes in tali persona, etiam si religionem relinquat; quia illa formaliter, vel virtualiter est quædam dispensatio perpetua. Huiusmodi esse censeo dispensationem ad ordines suscipiendos, siue sit dispensatio in irregularitate, siue in interdictis, siue in recipiendo

ordines extra tempora; est enim possit Prælati per priuilegia cum suis religiosi in huiusmodi dispensare, non est extendenda illa potestas ad nouitios, nisi in ipso indulto expressa mentio illorum fiat. Ratio est, quia, considerata materia talium priuilegiorum, non potest prudenter ad nouitios fieri extensio, cum tamen in rigore verborum sub religiosi non comprehendantur; vt per se constat. Assumptum declaratur, tum quia illa extensio non est accommodata statui nouitij, vt sic, nam ille habet statum annum (vt sic dicam) & facili mutabilem; dispensatio autem fit ad rem perpetuam: tum etiam, quia potestas super nouitios solum conceditur ad spirituale regimen eorum pro tempore probationis, & consequenter solum extenditur ad ea, quæ ad hunc finem sunt necessaria; huiusmodi autem dispensationes nihil solent ad illum finem referre: tum denique, quia talis dispensatio posset interdum cedere in iniuriam Episcopi, cui nouitius, vt secularis, subiectus est quasi radicaliter, & erit etiam actualiter, si ad seculum reuertatur, manebitque clericus secularis irregulariter ordinatus, sine licentia sui Episcopi, quod est inconueniens, & contra debitum ordinem: & ideo præsumendum non est Pontificem in hoc sensu concedere priuilegia. Neque obstant priuilegia quædam Sixti IV. quæ referuntur in Mari magno, & in lib. Monum. ordin. concessa Prædicatoribus, & Minoribus, vt cum nouitijs possint dispensare in quibusdam irregularitatibus: quia si illa comprehendunt nouitios, ideo est, quia illos expressè nominant; vnde potius sumitur argumentum ab speciali, nimirum, quando expressè non nominantur, non comprehendunt in huiusmodi priuilegijs: quomodo autem illa priuilegia intelligenda sint, alibi tractatum est. Et simile priuilegium concessum est Societati à Paulo III.

In tertio puncto de dispensatione cum extraneis familiaribus, vel seruientibus religioni, pro regula habendum est, tunc solum extendi hæc facultatem ad has personas, quando in indulto fuerint expressæ. Quia neque in proprietate verborum sub religiosorum nomine comprehenduntur, neque etiam secundum aliquam extensionem, quæ vel in iure, vel in communi modo loquendi habeat aliquod fundamentum. Necessaria ergo est extensio, quæ ab ipso Pontifice fiat per expressa verba, de qua nihil dicere possumus ex iure communi, quia nullum est, quod talem potestatem concedat. Consideranda ergo sunt particularia priuilegia: huiusmodi autem est priuilegium, quod Eugenius IV. concessit monachis S. Hieronymi, quo aliæ religiones per communicationem vtuntur, scilicet, vt Prælati conuentuales possent dispensare cum familiaribus monasteriorum in ieiunijs Ecclesiasticis, vel etiam, vt diebus prohibitis possent ratione infirmitatis carnes, & oia comedere, de consilio medici, vel etiam sine illo, si commodè habere non possit. de quibus vide in Compendio Minorum, verb. *Ieiunium*. §. 7. & in Compend. Societatis, verb. *Dispensatio*. §. 7.

C A P V T XV.

*An in Prælati religionis sui potestas tum ad absol-
uendum suos subditos a culpis non reserua-
tur, tum ad delegandum alijs talem
potestatem.*

QVONIAM in superioribus constituimus differen-
tiam inter dispensationem, & absolutionem,
ideo, explicata in tribus proximis capitulis pote-
state dispensandi, necessariū est de potestate absol-
uendi

I.